

EXERCITATIO JURIDICA  
*DE*  
**DEBITORE**  
**DIE SOLVTIONI DESTINATO**  
*IN*  
**FERIAS DIVINAS INCIDENTE**  
**SOLVERE OBSTRACTO,**

*QVAM*  
ANNVENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE  
*AD D. XXVIII. SEPTEMBR. MDCCXXV.*

PRÆSIDE  
**D. GOTTLIEB WILHELMO**  
**DINCKLERO,**

JUR. SAX. ET TRACT. CVRS. PANDECT. P. P. ORD.  
MODESTO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTET

*A. R.*  
**JOHANNES PHILIPPVS OTHO,**  
HALA - SVEVVS.

---

*L I P S I Æ,*  
LITERIS ANDREÆ MARTINI SCHEDII.

Diss. jur. civ.

137,32



EXERCITIO IN ARITHMETICA

DE DEBITORE

DIE SOLVATION DESTINATO

FERRAS DIVINAS INCIDENTE  
SOLVERE OBSTRICTO

ANNVENTE ALIIS JOTORVM ORDINE

AD D. KUNYATERRA MDCCCLV

TR. 2. SID.

D. GOTTFRIED WILHELM

OVINCULAR

JUR. SAX. ET TRACT. CIV. PRACT. P. R. ORD.

NOTA TO...

JOHANNES PHILIPPVS OTHO

THA. STVS

SENATOR

ALBA

LITTE. ANDRE. MARTINI SCHEDEL



ILLVSTRIS AC LIBERAE  
S. R. I. REIPVBLICAE SVEVO-  
HALLENSIS

VIRIS

*ILLVSTRIBVS GENEROSIS MAGNI-  
FICIS EXCELLENTISSIMIS AMPLISSI-  
MIS CONSVLTISSIMIS*

DOMINIS

CONSVLIBVS,

QVINQVE VIRIS,

CONSILIARIIS,

AC RELIQVIS

SENATORII ORDINIS COL-  
LEGIS

GRAVISSIMIS



PATRIAE PATRIBVS IMMORTALI-  
BVS MERITIS  
CONSPICVIS  
MOECENATIBVS SVIS DEVOTIS-  
SIMO ANIMI

CVLTV PROSEQVENDIS  
HOC TENVE SPECIMEN ACADEMICVM  
GRATISSIMAE SVAE MENTIS  
CONTESTANDAE

ERGO

D. D. D.

RESPONDENS

JOH. PHIL. OTHO.





§. 1.

**I**ls, quibus de Virtute ac effectu obligationis cujusdam genuinum ferre judicium animus est, eo præprimis respiciendum constat, annon effectum obligationis vel dies vel Condicio adjecta remoretur. Alia quippe debiti sub conditione, alia in diem Contracti est ratio. Condicio quippe id efficit, ut pendente eadem nec dies cessisse nec venisse dici queat *L. 213. ff. de V. S.* ipsa potius perfectio actus tamdiu suspendatur, donec de ipsius conditionis existentia certum est, *L. 7. ff. de Contrab. Empt.* vid. Illustr. Menckenius in *Theor. & Praxi pandect. Lib. II. Tit. XIV. §. XIX.* Quare eum, qui sub conditione fidem suam ad aliquid præstandum adstrinxit, non solum pendente conditione a necessitate solvendi promissi immunem esse, *L. 8. ff. de V. O.* sed etiam errore solutum conditionis indebiti subsidio repetere posse elucescit ex *L. 16. pr. ff. de Condict. Indeb.* Vid. Ungepauer *Diff. de Solut. Cap. VI. Lit. c.* Dies vero quando obligationi inest nihil impedimenti affert, quo minus obligatio inter obligationes natas referatur. Unde recte dicitur, hujuscemodi præsupposita obligatione diem confestim cedere, quum a momento contractæ hac ratione obligatio



6

❁ ) o ( ❁

gationis, id, quod promissum, deberi incipiat, *L. 137. §. 2. ff. de V. O. L. 38. §. 16. & L. 46. ff. eodem*, licet non sit dissimulandum, jure suo Creditorem demum die adveniente uti posse, cum debiti exigendi Creditori demum die solutioni destinato adveniente tribuatur facultas. Nec tamen existimare par est Creditori omni ante diem contra debitorem suum præclusa expereundi facultate, nullam cessionis diei, quam in momento contractæ obligationis adesse dixi, esse effectum, debitum enim, licet hujus exigendi Creditor ante diem non consequatur copiam, alii tamen debiti hujus & obligationis naturæ prostant effectus, sic debitum in diem contractum admittit novationem *L. 5. ff. de Novat.* nec repugnat natura hujus debiti, quo minus constitui possit *L. 3. §. ult. & L. 4. ff. de Pecun. Const. Huberi Prælect. Juris Civ. ad Tit. Inst. de V. O. §. 2.* Huc etiam referendum est, quod debitor in diem obligatus errore adductus Creditori ante diem exsolvendo debitum satisfaciens non possit usurpare conditionis indebiti auxilium atque exsolutum repetere, hujus rei ratio in eo reposita, quod jus Creditoris jam natum sit, & dies non debito excludendo sed solutioni saltem differendæ inservit, quæ sententia comprobatur *L. 10. & 17. ff. de Condict. Indeb. L. 1. §. 1. ff. de Condit. & demonstr. L. 21. ff. Quando dies Legati &c.* Nec decedit huic sententiæ aliquid ex *L. 1. §. 2. ff. de Cond. & Dem. & L. 4. pr. ff. Quando dies Legati &c.*, in quibus legibus traditur legatarium, cui in eum diem, quo heres decesserit, legatum relictum est, ante eundem diem morte abreptum non transmittere legatum ad heredem suum. Licet enim exinde pro no alveo sequi videatur, obligationes in diem collatas non nisi die adveniente esse natas, alias nulla fere ratio reddi posset cur Legatarius jus legati capiendi non transmisisset ad suum heredem, cum tamen alias omnia Jura perfecte quæsita & non

mere



mere personalia transeant ad heredes: huic tamen scrupulo facile satisfieri potest perpendendo in Legibus excitatis de die incerto, an sit extiturus, sermonem esse, qualis dies conditionis induit naturam, licet enim certum sit fore ut heres aliquando moriatur, incertum tamen remanet an Legatarius eo tempore sit superstes futurus, quæ incertitudo conditionem hic subesse evidenter commonstrat *L. 75. ff. de Condit. & Demonst. L. 22. pr. ff. Quando dies Legati: confer. Cocceji Jus Controversum Civ. Lib. XII. tit. VI. q. VIII.*

§. II.

Paucis hic monere e re esse duco, diem obligationi inesse vel expresse vel tacite *L. 41. §. I. ff. de V. O.* Illust. Menckenius in *Theor. & Praxi Pandect. Lib. II. tit. XIV. §. 20.* aut enim conventionem partium certa dies solutioni peragenda destinata est, hic expresse diem obligationi inesse liquido apparet, aut sola legis dispositio certo tempore debitori exsolvendi sui debiti necessitatem imponit, sic tacite diem obligationi inesse animadvertitur. Quale exemplum occurrit in emphyteusi, quippe secundum *L. 2. C. de Jure Emphyteut.* Emphyteuta singulis annis canonem emphyteuticum persolvere obstrictus est, ac, si hanc officii sui partem neglexerit, moræ reus fit, si vel maxime dominus directus non peculiari interpellatione usus fuerit, cum Emphyteuta non admonitionem quandam expectare, sed ultro se offerre & canonem persolvere debeat, addatur *Cap. ult. X. de Locat. Conduct.* Referenda pariter hic est dotis promissio, cum suffragante *L. ult. §. 2. C. de Jure Dotium*, is, qui dotem promisit, biennio a tempore contracti matrimonii præterlapso, nisi intra istud temporis spatium promissioni suæ satisfecerit, in mora constituitur, adeoque deinde ad usuras dotis præstandas obstrictus

ctus



ctus est. Potest tamen maritus interpellatione sua, ante bien-  
 nii spatium suscepta, promissorem citius in mora constituere.  
 Pariter in pecunia constituta tacite inest dies, nisi enim isti,  
 qui pactum constituti celebrarunt, peculiare solutionis tem-  
 pus determinaverint, decem dierum spatium solutioni desti-  
 nasse censentur. *L. 21. §. 1. ff. de Constit. Pec.* Vid. Coccejus in  
*Disp. de Mora Thes. 14.*

### §. III.

Sed missis hisce singulis propius ad scopum mihi præfi-  
 xum accedendum duco, scil. constitutum mihi est in præsentem  
 hanc quæstionem excutere, an debitori, si forsitan dies solu-  
 tionis destinata in ferias divinas incidat, eodem die exsolvendi  
 debiti necessitas incumbat? Perpensis genuinis Juris Com-  
 munitatis principiis affirmativam amplecti volui opinionem, ad-  
 eoque in eam concedo sententiam, debitorem in diem obli-  
 gatum obstrictum esse præcise ea die, quam terminum solu-  
 tionis vel legis dispositio vel partium conventio esse voluit,  
 solutione rite facta Creditori satisfacere, si vel maxime ea  
 dies feriis divinis esset accensenda. Quam opinionem ita  
 corroborare allaborabo, ut primo rationes meæ sententiæ in  
 medium afferam, secundo ea, quæ dubiam eandem senten-  
 tiam facere posse videntur, proponam; tertio denique con-  
 tra hæc dubia thesin propositam vindicem, ac denique effe-  
 ctus varios ex decisione quæstionis excussæ resultantes in-  
 dicem.

### §. IV.

Ut itaque ex methodi semel electæ præscripto procedam,  
 rationes sententiæ propositæ sum redditurus, quæ rationes  
 non e longinquo arcessendæ, sed potius ex ipsa indole obliga-  
 tionum in diem contractarum petendæ sunt: Is scilicet, cui  
 exsolvendi cujusdam debiti necessitas incumbit, eo insimul  
 respi-



respicere debet, ut & opportuno loco & congruo tempore solvat *l. 39. ff. de solut.* Congruum vero tempus solvendi debiti in obligationibus in diem contractis, est ipsamet dies solutioni destinata, quæ dies pro parte contractus & obligationis reputatur *l. 41. §. 1. ff. de V. O.* hacque die præcise solutio facienda, unde male solvi id dicitur, quod post tempus solutioni indultum præstatur & is minus dare perhibetur, qui tardius dat *l. 12. §. 1. ff. de V. S.* & ex judicio Calistrati in *l. 85. ff. de Solut.* & tempore minus solvitur. vid. Petrus Müller *de Pecunia statis temporibus solvenda c. 1. th. 4. v.* Briffonius *de Solut. §. Lib. 1. 1, p. 53.*

§. V.

Dies scilicet in obligationibus in diem contractis nullo alio consilio adjicitur quam ut postremus sit terminus solutionis peragendæ; &, nisi debitor officio suo stato die satisfaciat, moram incurrit, etiamsi nulla creditoris interpellatio accesserit, qua ex parte insignis inter debitorem sub conditione & inter debitorem in diem obligatum intercedit discriminis ratio. Is enim qui fidem suam sub conditione adstrinxit, moræ tum demum reus fit, quum a creditore, eo quo par est modo, fuerit interpellatus, qui vero in diem se obstrinxit, solo diei lapsu in mora constituitur. Fundamentum diversæ hujus decisionis in eo repositum est, conditio producendæ saltem obligationis causa adjicitur, quæ obligatio non nisi existente conditione exordium suum capit, & tunc pro pura habetur, in pura autem obligatione interpellationem in-

B

super



super habere nequit creditor. Dies vero nullo alio consilio  
adjicitur, quam ut debitori certo constet quando res alienum  
contractum dissolvere sit obstrictus, obligatio enim jam ante  
diem nata, & solutio solummodo in diem certum rejecta est.  
v. Cocceji Diss. de mora *l. b. 13.*

## §. VI.

Diei itaque, in quem obligatio contracta est, cum tan-  
tum ei constare robur jam fuerit monitum, ut solus lapsus  
ejusdem debitorem officii sui partes negligentem in mora con-  
stituat, rationes hujus sententiæ investigare haud incongruum  
duco. Præcipuum hujus opinionis præsidium in *l. 12. C. de  
contr. & com. stip.* repositum est, ex qua lege talis commode  
eruitur casus. Titius promissit Sejo se facturum aliquid vel  
daturum eidem ad calendas proximas, insimulque pœnæ no-  
mine certam pecuniæ summam, si promissis suis non satisfac-  
cerit. Quum vero eveniret, ut Titius officio suo non defunge-  
retur, quæstio incidebat, an stipulatio pœnalis esset commis-  
sa? Negabat id Titius, hoc utens prætextu, nullam præcessisse  
admonitionem, qua deficiente deficere pariter moram. Se-  
jus vero arbitrabatur, acquiescendum esse Titio in eo, ut so-  
lus diei lapsus eundem officii sui admonuisset, adjectionem  
quippe diei, ne omni effectu excideret, interpellationis ro-  
bur sortiri debere. Et huic sententiæ accedit ipsemet Justinia-  
nus, ita pronuncians: *Sed etiam citra ullam admonitionem eidem  
pœna pro stipulationis tenore fiet obnoxius: cum ea que promissit  
ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari debeat*

po.



*poscere.* Corroboranda mea sententia infervit *l. 1. §. 1. ff. de Act. Empt.* quippe ibi traditur, eum qui non ignoravit, certiorari non debere. Ex qua legis sententia hæc argumentandi ratio fluit: Qui semel certior factus, ulterius certior reddi non debet. Jam debitor talis, de quo mihi in præsentis sermo est, adjectione diei certior utique factus est, quo tempore officii sui partes subire debeat. Cui itaque usui esset eundem peculiari interpellatione in mora constituere? Adjuvatur etiam sententia mea, *L. 2. C. de jur. emph.* Statuit in hac lege imperator, emphytevtam ad Canonem quotannis persolvendum obstrictum non debere expectare admonitionem domini directi, sed ejus potius esse, ultro sese offerre & debitum spontanea persolvere voluntate. Quod si facere prætermiserit, eundem moram incurrere, etiamsi eo nomine nequaquam interpellatus sit, ac privationi emphytevtæ locum relinqui. Sane mora ista, quam, suffragante lege modo allegata, incurrit emphytevtæ, ex nullo alio proficiscitur capite, quam ex solo temporis lapsu. Accedit porro *l. 23. ff. de O. & A.* quæ lex nos edocet, istius quoque temporis, quo debitor interpellatus non fuit, pœnam conventionalem peti posse. Nec prætermittendam duco *l. 77. ff. de V. O.* cujus legis sententia ea est, ad diem sub pœna pecunia promissa, & ante diem mortuo promissore, committi pœnam, licet hereditas defuncti nondum fuerit adita. Quibus verbis indigitat Jctus pœnam conventionalem, etiam ante diem mortuo promissore, committi. Ex quo consequitur, non solum diem interpellando debitori sufficere, eundemque in mora constituere, sed & id efficere, ut in re mora fiat, si desit is, qui interpellari possit;

B2

quod



quod utique contingit, si debitor, antequam dies illuxerit, diem suum obierit, ac hereditas ejusdem a nemine hucusque fuerit adita.

### §. VII.

Hæc singula equidem sufficere possent sententiæ meæ confirmandæ. Cum tamen non desint varia, quæ destruendæ meæ opinionis gratia in medium afferri solent, & hæc ipsa sub examen vocare ab instituti ratione non erit alienum. Scilicet objiciunt nonnulli, diem in stipulationibus in diem conceptis favorem debitoris respicere *l. 70. ff. de Solut.* nequaquam vero favorem creditoris. Jam vero extra omnem controversiam repositum esse, ea quæ in favorem alicujus introducta essent, non debere in ejus præjudicium cedere *l. 6. C. de Legibus*, quod tamen eveniret, si dies interpellaret pro homine, sed removeri poterit facili negotio hoc dubium, dummodo perpendatur, diem adjectum solummodo cedere huic emolumento debitoris, ut tempore isto intermedio, quod intercedit promissionem factam & existentiam diei solutione defungi non sit obstrictus. Existente vero die expirat favor debitoris, potius jura favent creditori, ut eundem ab interpellationis onere immunem censeant. Impugnant porro nonnulli sententiam meam exinde, quia tempus non esset modus inducendæ obligationis *l. 28. C. de pactis l. 44. §. 1. ff. de O. & A.*, unde concludunt, idem tempus nec moræ, tanquam accessorio obligationis, introducendæ sufficere, cum accessorii nulla alia possit esse ratio quam principalis. Sed hæc singula

la



la nihil aliud evincunt, quam quod tempus nudum in se spectatum non sit capax obligationis producendæ, nequaquam vero probant eandem esse temporis rationem, cui vel legis dispositio vel consensus contrahentium peculiarem virtutem assignavit. Diem hic interpellare pro homine, debitoremque moræ reum efficere & voluntati legis ac contrahentium tribuendum. Et si verum fateri fas sit, doctrina hæc juris Romani tempus non esse referendum inter modos inducendæ obligationis, accensenda est spinosis istis principiorum subtilitatibus, quas Jcti, Philosophorum æmuli, excollendæ Jurisprudentiæ studio hoc consilio excogitarunt, ut persuaderent hominibus, in juris disciplina æque ac in aliis disciplinis universalia obvia esse principia, prout rite judicat Ziegl. in *Diss. de Tempore legali* tb. 31. Ea vero, quæ de relatione ista inter principale & accessorium tradita sunt, non semper procedunt. Quod elucescit ex exemplo actionis principalis ex mutuo descendentis, quippe quæ decursu triginta annorum præscribitur. *l. 3. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* Non tamen actione accessoria, Hypothecaria nimirum, in quantum ea tendit adversus debitorem principalem, experiundi facultas iisdem limitibus circumscribitur, sed quadraginta annorum spatium relictum est creditori, intra quod hac actione sibi consulere valet. Præbet etiamnum dissentienti argumentum *l. 2. ff. de Naut. Fœn.*, quippe ex hac lege ita argumentari nonnullis solenne est: Si nemo adest, qui loco debitoris interpellari potest, propter pecuniam trajectitiam, certo & statuto die solvendam, Jctus testatione opus esse judicat, quæ tamen minime esset necessaria, si dies adjectus pro homine interpellaret. Si

B3

enim



enim interpellatione non esset opus, quorsum faceret testatio? Sed tenendum hic, in *b. l. 2.* nullius adjectæ diei fieri mentionem, quæ debitorem officii sui admoneret, sed hunc solummodo pertractari casum, ubi pecunia trajectitia sub ea conditione, cum repetiero, data fuit, quo casu præstructo interpellationis vicem sustinet testatio, si nullus reperiatur, qui conveniri possit. Consentunt mecum Huberus in *Prel. Jur. Civ. ad ff. Libr. 22. Tit. 1. §. 15.* Hahn. in *Diss. de Mora, §. 32, 33. 34.* Georgius Werner in *Diss. de Solut. tb. 41.*

### §. VIII.

Quæ tamen singula de die certa solutioni destinata sunt accipienda; nam si debitori non evidenter satis constet, quo tempore creditori satisfacere teneatur, tum demum debitor moram contraxisse censendus est, si interpellatio accesserit. Fingamus igitur casum, subesse obligationem alternativam, & quidem talem, in qua peculiari conventionione electio reservata est creditori *l. 95. pr. ff. de Solut.*, tunc lapsus diei debitorem non constituit in mora, sed, mora ut contrahatur, electio creditoris *l. 22. ff. de compens.* & interpellatio ejusdem desideratur, creditor enim ab interpellandi & agendi tamdiu excluditur facultate, quamdiu nondum mentem suam de eligendo contestatus fuerit, v. Anton. Faber ad codicem *l. 4. tit. 24. def. 13.*

### §. IX.



§. IX.

Commonstrato itaque fundamento, cui thesis mea in-  
 nititur, jam ad ista, quæ ad eandem destruendam nonnihil  
 facere posse videntur, transitum facio. Non enim dissi-  
 mulandum est varia solere in medium afferri, quæ debito-  
 rem ab onere die feriata exsolvendi debiti immunem esse  
 non nemini persuadere possent. Unde Annæus Robertus  
 Rerum judicatarum *Lib. IV. Cap. XV.* refert, pronunciatum  
 aliquando judicis sententia fuisse, debitorem nullius moræ  
 reum factum qui prætermiserat pretii debiti exsolutionem  
 tempore huic solutioni destinato in ferias incidente pera-  
 gere, plurimasque subjicit rationes quæ judicem, ut ita pro-  
 nunciaret, adduxerunt. Præcipua vero momenta, quæ  
 pro debitore faciunt, eo redeunt, scil. ipsum actum solu-  
 tionis minime pro tali actu reputandum, qui cultus divini  
 partem constituit, a talibus vero esse abstinendum actibus,  
 qui non ad cultum divinum referuntur, feriarum divinarum  
 efflagitare indolem, ut ab omni opera vacuæ esse debeant.  
 Sic judicialis strepitus diebus feriatis conquiescere jubetur,  
 ut ille dies a cognitionibus alienus sit, litigantesque a con-  
 troversis respirent foederisque intervallum habeant. Ut  
 monetur in *L. 7. & II. §. fin. C. de Feriis.* Exulare juben-  
 tur actus & negotia ad jurisdictionem contentiosam spectan-  
 tia causæque cognitionem desiderantia, & quidquid absque  
 strepitu judiciali perfici nequit, suscipi in feriis divinis pro-  
 hibetur. *L. 2. C. de Feriis.* Extenditur hæc prohibitio ad  
 causas criminales, dum judici injunctum est, ut hisce die-  
 bus



bus a cognitione criminum abstineat, neque ipsos reos criminum torturæ subjiciat, neque pœnæ executionem in eosdem suscipiat. Vid. Müller ad Struv. *Exerc. V. Lib. 2. tit. 12. §. 35. lit. a.* Nec arbitris sententiam dicere in feriis divinis permittitur, quippe arbitria ad modum judiciorum redacta sunt. Sententia a iudice die feriata lata contrahit nullitatis vitium. Testium depositio diebus sacris facta nullam facit fidem, integrum tamen tali non est testi a priori testimonio impune resilire. Testis enim die dominico falsum dicens æque perjurii notam ac alius testis incurrit, vid. Ant. Faber ad *C. tit. 11. def. 2.* vid. Lauterbachius in *Diss. de Feriis.* Cessare debent ex præscripto *L. 3. C. de Feriis* cunctarum artium officia, cessare debent commercia, negotiationes & nundinæ *Cap. I. X. de Feriis.*

### §. X.

Sed hæc singula a sententia semel proposita me minime dimovent, nequaquam enim regula hæc firmo nititur fundamento, quod singula ea ex juris communis præscripto cessare debeant, quæ non spectant ad cultum divinum. Elucescit hoc evidentissime ex *L. 9. ff. de Feriis.* qua comprobante lege feriæ tantum a forensibus negotiis tribuunt vacationem, & à necessitate comparendi in iudicio liberant, Vid. *Celeber. Leyserus in Medit. ad ff. Specim. 35. thes. 6.* Exinde tuto mihi concludere posse videor. Quicumque actus non accensetur negotiis judicialibus, iste etiam diebus feriatis licite suscipitur, nisi forsitan peculiaris legis dispositio hunc ipsum

ipsum



ipsum actum tali tempore interdixerit, in qua sententia eo magis confirmor, dum animadverto in ipsis legibus occurrere exempla actuum ad cultum divinum non spectantium, & tamen die feriato permissorum. Sic actuum enim voluntariae jurisdictionis diebus sacris peragendorum relinquitur libertas, modo sint tales actus, qui absque praevia causae cognitione perfici possunt. *L. 8. C. de Feriis.* Quare nihil impedimento est, quo minus emancipatio & manumissio in ipsis feriis sacris peracta felici utatur successu *L. 8. C. de Feriis. Ant. Peretz. ad C. tit. de Feriis n.6.* In quantum vero actus tales causae cognitionem desiderant, in tantum etiam ab iisdem abstinendum, dies enim sacra secundum *L. fin. C. de Feriis* a cognitionibus debet esse alienus. Unde licet unio prolium inter actus voluntariae jurisdictionis suum tueatur locum, eadem tamen in feriis sacris suscepta omni destituitur robore, quippe exactior causae cognitio ad eandem perficiendam desideratur. Porro in ipsis diebus sacris pacta, transactiones valide celebrantur suffragante *L. fin. §. 1. C. de Feriis*, unde modo laudatus *Anton. Peretz* loco citato monet instrumentum a tabellione conscriptum omni ex parte esse validum. Et arbitratorem, quia muneris ejus ratio, solummodo in eo versaretur, ut via amicabili lites imminentes componeret, eodem die munere suo defungi posse. *Cap. fin. X. de Feriis.* Tutorum pariter Constitutio temporis sacri ratio non impedit *L. 2. ff. de Feriis.* Ut taceam leges romanas pertractationem aliarum causarum diebus sacris admittere. Sic causae alimentorum *L. 2. ff. de Feriis.* Pupillorum & Viduarum publicae & fiscales *L. 5. C. b. t. pistoriae, publi-*

C

cz



ca annona promovenda causa introducta *L. 5. C. b. t.* licite agitantur. Ruri degentibus Imperator Constantinus indulgit hanc facultatem, ut & hoc tempore agrorum cultura interserviant, cum facile evenire possit, ut non commodius alio die frumenta sulcis aut vinea scropibus mandentur, & ne occasione momenti pereat commoditas caelesti provisione concessa. Sic *L. 1. §. 4. ff. de Operis Novi nunciat.* permittitur nunciationem novi operis die feriato peragere, quia ex mora periculum metuendum est, & judicem hoc tempore adire non decet.

### §. XI.

Debitor itaque nullo se tueri potest praetextu differendi solutionem, praeripis cum solutio non sit talis actus qui magnam corporis animique intentionem requirat, sed brevi tempore & exigua opera perfici possit, quae autem ita comparata sunt, diebus quoque feriatis impune expediuntur. Praebet hujus rei exemplum *L. 11. §. 6. ff. Ad L. Juliam. de Adult.* quippe ibi Ulpianus respondet in illos 60. dies, quibus accusatio de adulterio instituenda est, dies etiam feriatas computari, subjecta ratione, quoniam de plano etiam Libellus dari potest. Et in genere constat eum, qui intra certum diem ad aliquid peragendum obstrictus est eundem a necessitate statuto tempore officio suo satisfaciendi non liberari, si vel maxime ultimum temporis momentum in serias incidit, edocet id *L. 36. ff. de Recept. qui arbitr.*, ex  
cujus



cujus sententia arbiter & in feriis, si dies compromissi exi-  
tura est, sententiam dicere cogitur.

§. XII.

Monet me præscripti ratio, ut ad effectus ex deci-  
sione hujus sententiæ descendentes me convertam. Effe-  
ctus vero totius hujus sententiæ redit eo, quod debitor die  
feriata solutionem prætermittens moram contrahat, unde  
omnes effectus, qui alias ex mora resultare solent, expe-  
ctant talem debitorem in diem obligatum. Unde si debitor  
die sacro speciem quandam dare debuerit, ejusdem vero  
dationem facere neglexerit, periculum ad eundem de-  
bitorem spectat *L. 5. ff. de Rebus Creditis*. Sic usurarum  
cursus statim ex eo tempore, ex quo dies feriatus præter-  
lapsus est, incipit. Sic si fingamus casum, debitorem in  
diem obligatum Creditori rem aliquam pignori dedisse, ad-  
dito pacto, quod creditori integrum esse debeat, si debi-  
tum intra diem statutum non exsolverit, rem oppignoratam,  
absque ulla interpellatione, vendere, incidit dies solutionis  
in ferias divinas debitor hoc die solutionem detrectat, tunc  
creditor jure suo utitur, quando die insequenti rem oppi-  
gnoratam vendit, quod confirmat *L. 7. C. de Distract. pign.*  
Fac porro emptorem aliquem rem quandam ea lege emisse,  
ut, si ad certum diem non solvatur pretium, res sit inem-  
pta *L. 2. ff. de L. Commiss.* Incidit hoc tempus in diem feria-  
tum emptorque exinde justam causam sibi subesse putat so-



lutionis differendæ, venditor statim jure suo, elapso die feriato, uti potest remque venditam repetere. L. 4. §. fin. ff. de Lege Commiss. Hæc pariter liceat applicare ad emphytevitam; fingamus enim eundem canonem emphyteviticum spatium integri triennii in emphytevisi seculari non persoluisse, tunc si vel maxime ultimum triennii spatium sit dies feriatus, emphytevta tamen excidit jure suo & dominus directus ad privationem emphytevitæ agere potest.

**F I N I S**





V I R O  
ILLVSTRI, MAGNIFICO ATQVE  
EXCELLENTISSIMO  
JVLIO FRANCISCO OTHONI,  
S. R. I. REIPVBL. SVEVO-HALENSIS  
CONSVLI MERITISSIMO

S. P. D.

PRÆSES.

**Q**um inter præcipuas humanæ fe-  
licitatis partes sit referendum,  
paterno affectu eos ex se comple-  
ti natos, qui paternarum virtutum  
æmuli ad omne decus nituntur; Filius  
TVVS, VIR MAGNIFICE, JO-  
HANNES PHILIPPVS, quem  
meæ doctrinæ ante aliquod temporis in-  
ter-

X

ter-



tervallum commisisti, non potest Tibi non  
amplissimam lætandi suppeditare mate-  
riam, quippe qui eas hucusque vitæ suæ  
iniirationes, ut ab ejusdem indole studio-  
que maximos fructus auguratus sim. Fe-  
licissimo itaq; opera tua, quam in eodem  
rite educando adhibuisti, utitur successu,  
dum eundem & moribus ad omnem ani-  
mi honestatem compositis conspicuum cer-  
nis, & tales studiorum suorum fecisse pro-  
gressus, qui patriæ insigni cedere possunt  
emolumento, certissimus esse poteris. O-  
mnia sane dulcissima in eo conspirant  
harmonia, quæ spei egregiæ de eo facien-  
dæ inservire queunt. Secutus est eos stu-  
diorum suorum duces, quorum eruditio  
communi omnium ore celebratur. Nactus  
quippe est in Academia Noricorum stu-  
dio-



diorum suorum moderatores, Juris  
Antecessores præstantissimos, Fichtne-  
rum Hoffmannumque & Philosophos  
consummatæ eruditionis, Schwartzium,  
Köhlerum, ac Feuerlinum; in illu-  
stri vero Fridericiana usus est doctrina  
Illustrum hujus Academiæ decorum,  
Ludewig, Böhmeri, Heineccii ut &  
consultissimi Knorrii, Lipsiæ vero  
meam qualemcunque operam sibi non  
prorsus inutilem esse ratus, mihi in-  
defessum studium, sive juris Romani,  
sive Germanici traderem præcepta,  
approbavit, præsensque specimen sub  
meo moderamine publice tuendum su-  
scepit. Faxit Optimum Numen, ut  
quotidie ex majoribus filii tui incre-  
mentis, & lætitia tua majora capiat  
in-



*incrementa. Largiatur & Tibi, Vir  
Magnifice, optimum Numen tran-  
quillam ac vegetam senectutem, for-  
tunet Tua Consilia in salutem Illu-  
stris istius Reip. cui præes, susce-  
pta, & Te una cum inchyta gente  
tua adversus quosvis funestos tristes-  
ve casus firmet. Vale. Dabam  
Lipsiæ d. XXVIII. Septembr.  
MDCCXXV.*

